

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd propter reliquiarum eius translationem, multas Christianis clades  
Iulianus inflixit, et de sancto confeßore Theodoro, & quòd delapso cælitus  
igne, Daphnæi Apollinis templum conflagravit. Cap XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

canebant reuera ardenti studio & propensa erga pietatem voluntate incensi, propterea quod imperator aliter omnino atque ipsi de deo sentiebat. Psalmos autem ordiebantur hi, qui eos canere accurate norant, multitudo autem simul voces fudit cum concentu, huncque versum addidit. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui glorianter, in simulachris suis.

*Quod propter reliquiarum eius translationem,  
multas Christianis clades Julianus inflixit, et  
de sancto confessore Theodoro, & quod delapsorum  
calitus igne, Daphnai Apollinis templum con-  
flagravit.*

CAP. XIX.

**O**n hanc causam imperator, perinde quasi contumelia affectus fuisset, ira exardescere coepit: & propterea constituit supplicia Christianis irrogare. Verum Salustius eius praefectus, licet professione Gentilis, illud quidem consilium non probauit: sed tamen cum resistere non posset, mandatum imperatoris re ipsa exequitur: & postridie multos comprehendit Christianos, & in vincula coniicit. Ac primum omnium adolescentem quendam, cui nomen erat Theodorus, in medium productum, ad equuleum applicat. Ille diu acutis testis suffosus, neque tormentis siccubuit, neque praefecto supplicem se prebuit, sed ita se gesit, ut nihil videretur sentire doloris: quinetiam velut spectator cruciamentorum sibi infelitorum toleranter ac placide plagas exceptit, psalmumque cecinit rursus eundem, quem pridie cecinerat, atque ita planè ostendit, quam non curaret ea, pro quibus in iudicium adductus fuisset. Praefectus autem constantiam adolescentis admiratus, cum venisset ad imperatorem, res ab eo gestas illi exposuit: dixitque nisi celerius ab instituto desisteret, fore, ut & ipsi omnibus haberentur ludibrio, & Christiani plus inde laudis & gloriæ colligerent: quod concilium cum magis approbaretur, qui erant comprehensi, vinculis liberabantur. Dicitur porro Theodorum cum à quibusdam rogatus esset, num dolorem sensisset tormentorum, respondisse, se non omnino omni sensu doloris caruisse: verum adolescentem sibi astitisse, qui doloris

## SOZOMENI HISTOR.

doloris morsus sedasset : tenuissimo linteo absterrisse su-  
dores, aqua frigidissima corpus perfudisse, quā & ardore  
restinxit, & crumnae subleuauit. Videtur quidē certè mihi  
hoc nō solius esse hominis, quantumuis generosi, vt corpo-  
ris afflictionē adeo contemnat, nisi qui forte robore &  
vi diuina adiutorius fuerit. Itaque Babylas martyr ob eam  
causam, quam suprà demonstrauimus, & in Daphne con-  
ditus est, & inde rursus translatus. Quare confecta, haud  
ita diu pōst, ignis ex improviso in delubrum Apollinis  
Daphnæ irruens, totum tectum, & ipsam statuam flamma  
penitus absumpit: atq; parietes solum, quibus delubrum  
erat circundatum, columnas præterea, qui tum veltibula,  
tum posteriorem partem ædificij suffulciebant, nudata re-  
liquit. Atque vt Christiani putabant ignem illum ecclis-  
tus in dæmonē delapsum esse: sic Gentiles rumorē disipa-  
rūt, illud facinus à Christianis dedita opera perpetratum.  
Quæ opinio cum superior esset, sacerdos Apollinis addu-  
citur in iudicium, vtr quis incendijs author fuisset, indica-  
ret. Atque licet multis verberibus cæsus, grauitèque ciu-  
ciatus, neminem tamen omnino indicauit. Quare potissimum  
inducti Christiani, constanter affirmarunt, ignem nō  
ab hominibus per insidias iniectum, sed diuina vltione è  
cælo dimissum, in delubrum irruisse. Atque ista hoc mo-  
do accidisse accepimus. His rebus in Daphne propter Bi-  
bylā martyrem à Deo confectis, imperator credo, cum cer-  
tior factus esset ecclesiæ quasdam in honorem martyrum  
esse prope Apollinis Didymæi fanum, quod est pro Mile-  
to situm, ædificatas, scripsit ad Præsidē Cariæ, vt si tecū  
iam & mensam sacram haberent, eas incenderet: sin earum  
ædificia ex dimidia parte duntaxat perfecta essent, funda-  
mentis disturbatis solo æquaret.

De Christi statua que Panæadi habebatur, quam cum  
diruisset, destruxisse: que Julianus, suam ibidem ere-  
xit, & quomodo ea ita fulmine collapsa sit, &  
de fonte Emaus, in quo pedes suos lauui Chri-  
stus, & Perlide arbore, que Christum in  
Aegypto adorauit, & miraculis per  
eam adiit. CAP. XX.

Illud